



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LXXXII. Desperans ab S. Ignatio confirmatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

omne illicò concidit; hælit quasi stupens misera tantisper, tum in fletu effusa, crimen suum, & mentem falsa est contemnerati baptismatis. Complexa pœnitentem matrona cum lacrymis S. Ignatium agnoscere docuit, mutationis tam subitæ auctorem; eiusque ipsa gemmam esse quam dare se dixerat; duxit è vestigio in templum rogantem, ac inter eundem multis cum lachrimis, sacra ipsa assiduo osculo venerantem, inde animo apud Sacerdotem expurgato, ille penitus excidit, cuius insanierat amore.

Sensit in causa admodum dispari, par S. Ignatij patrocinium alia matrona, agebat illa Catanzari, non modo Christianam vitam sed non vulgaribus studiis virtutum exercitam, potissimum vero contemplationi cœlestium, cui Deus vicissim magnas reponerat animi voluptates. Factum nihilominus aliquando, vt hæc illi vena deliciarum arefceret, & obrebrata mente, precationis pabulum alias tam dulce pro supplicio haberet; ac tentabat quidem omni ratione teneritatem priorum sensuum, sed frustra revocare; quoad fortè coniectis in S. Ignatium oculis, quem in altari domestico colebat; supplex, ingentique affectu, præsentis suæ inopiæ subsidium ex eo petiit, qui tam cœlo gradu familiaris apud Deum gratiæ fuisset; mox tanquam aperto sibi cœlo, luce subito tam clara tantoque ardore perfundi, vt duarum horarum spatio, Dei amore tota disfluere, diei reliquum, suavissimis in Deum animi motibus fruere, quos multis postea identidem mensibus, eius diei repetita memoria accendit.

Cuenca vrbs est in nouo regno Granatensi. Illic nobilis matrona videns infantem filiolum in oculis morientem, ad S. Ignatium cuius habebat depictam tabulam conuersa, moriturum ei filium obtulit, vt si placitum Deo foret seruaret incolumem. En autem hic late splendere vultu sanctus, & infantem versùs brachia pandere; vice versa infans exporrigere in sanctum brachia, velut in amplexus mutuos enitens, & in eo conatu innocentem animam efflauit. Mater luctu in iucundissimam consolationem commutato, miris gaudiis profecuta est filium ab S. Ignatio extra salutis pericula inter sanctos subductum.

In S. Ignatij (quæ vna est de septem coloniis ad Paranam Paraguaia fluium sitis) nostrorum curæ commissus iuuenis, calumniam passus est, ob quam eiectus è Sodalitate B. V. etiam carcere clauditur, cuius casus dolorem non ferens, laqueo vitam finire decreuit; quod haud scio quo pacto interceptum misero non processit. Itaque de media nocte, eandem animo versabat desperationem, cum ianua rimas magna luce distendi aduertit, conspicaturque esse aliquem ex amicis à quo viseretur. Erat is verè amicus S. Ignatius, qui se illi spectantem præbuit luce immensa fulgens, oréque exporrecto, & hilari, vt qui desperantem erecturus venisset, tum eius capiti manu blandè imposita; esto, ait securus, fili, nihil istic abs te peccatum est, breuique hinc liber amitteris: quibus dictis recessit. Adolescens ex magna commotione animi, in clamorem erumpens, vicinos

KKk exciuit,

LXXX.

*Ariditas
mentis re-
pente depul-
sa.*

LXXXI.

*Infantis mors
cum miracu-
lo beata.*

LXXXII.

*Desperans ab
S. Ignatio
confirmatur.*

excitit, qui & carcerem deprehendere clausum, & iuuenem vbertim lacrymantem, paulo vero post, fidem fecit promisso, restituta infanti, post comperitam innocentiam libertas.

LXXXIII.
*Serua Inda
bis sanatur.*

Gaudianæ Mexici pago, serua Inda luxatis vertebrae iam biennium iacebat, vt præter grauem cruciatum, corpus nisi admodum ægrè non posset sustinere. Illac transiens è nostris Sacerdos, vicemque infelicis dolens S. Ignatium illi medicum aduocauit, quòd iam nihil spei ab aliis restaret; tum sancti fiducia illam erecturus, recensuit illi prodigia in vicinis ab eo patrata: denique in illam, precationem recitauit qua consuevit orari sanctus, eiusque auxilium implorauit. Quo puncto temporis, sic perfanata est vt statimurgeret, inambularet in oculis omnium, & in argumentum receptæ sanitatis sublatum in humeros onus baiularet. Verum reditatis, forte doloribus nimis stultè cauens, & fouendo quem receperat vigori; cum à patris discessu calefacto balneo vti voluisset; vix illud subierat, & diro totius corporis cruciamento statim capta, reportanda in lectum fuit, lenitatem suam plurimum inculans, & beneficij accepti frigidam æstimationem. Fletu ergo & precibus, tum facti veniam, tum amissi doni restitutionem enixè flagitans, orationes aliquot recitat, nouoque statim miraculo confestim, vt fuerat sana sit, & prudentiùs quam fuerat cauta.

LXXXIV.
*Sudor ex S.
Ignatij effigie
duas sanat
agrotas.*

Ibidem anno huius aui secundo, tribus vna occasione miraculis serui sui gloriam illustrauit Deus. Puellam paucorum annorum diuturnæ febres in supremum discrimen redegerant, & desperauerant medici; patens ad nosstros accurrit mestissimus, petiit ab iis quam apud se habent imaginem pictam S. Ignatij flexis genibus ante Christum de cruce pendentem; concessam fert domum, & sanctum pro filia salute cum familiaribus precatus, illius capiti imaginem admouet; exin prodigiosus sudor ex sacra imagine guttatim fluere, gemmarum instar colore spectabili & magnitudine stupere adstantes rei nouitate, in quibus mulier graue quo tumebat apostema, intincto reuerenter in sacrum humorem digito inungens, repente curata est. Puellam quoque sacrae imaginis attactus, febris & periculi securam effecit.

LXXXV.
*Nocturnus ap-
parente sibi
S. Ignatio.*

Romam venit Guillelmus Guardefordius Sacerdos anglus anno 1594. Societatem quam obtinuerat ingressurus, cupiens autem summoperè die illo tirocinium inire, qui Augustino Anglorum Apostolo sacer est dissimulauit febrem, qua illo ipso die correptus ardebat, sed ea postridie ingrauescens virèsqùe prosternens, & alia edens tristioris prognostici omina, iacentem graniter afflixit, vitæ metu tunc statim perdendæ, cum ei primum grata esse cœpisset. Tantisper igitur se lecto attollens, ardentè institit Sancto Ignatio, à quo, iam patre, confidebat se tanquam filium aspici; ne tam præmaturè bono illo orbari se sineret, quod ipse tot annos, & tantis itineribus quæsitum vix tandem possedisset. Differret morbum in aliud tempus, ne Societati attulisse cadauer videretur, & penè illi prius moriens, quam viuens, eam vix dura adeptus amitteret. Mouit orantis gemitus San-
ctum